



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 23. Condemnantur errores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.
A.C. 1372.

§. XXIII.

Condemnantur errores.

n. 33.

Bulcin.
p. 21.

In Germania Albertus Halberstadiensis Episcopus dicitabat, hoc in orbe fieri omnia per necessitatem; ex fato pendere vitam, & mortem cujusque hominis; de nulla re consilium, aut deliberationem habendam esse; vim siderum necessario influere in quoslibet actus hominum. Cumque hic Præsul eruditionis fama floureret ut Doctor Parisiis creatus, multi, præsertim Nobiles, sermonibus ejus commoti vacillare in fide, non Cælites, non Deum precari, & opera bona negligere cœperunt.

Papa re comperta Præposito Herfordiano, Dominicano per illa loca Inquisitori, & cuidam Augustiniano Theologiæ Doctori 15 Martii an. 1372 dedit hoc mandatum: Si videritis ita esse, Episcopum jubebitis errorem suum coram vobis, suoque Clero, ac populo fateri, temere prolata retexere, & agnoscere, quod sint hæretica. Publicæ actus istius tabulæ conficientur! Destinabitur ei tempus, intra quod hæc agat. Si non obedierit interea, eum ad tribunal nostrum citabitis, pro quo se sistat duos intra menses. Sive autem pareat, sive non; has propositiones palam declarabitis hæreticas,

reticas, & a Romana Ecclesia condemnatas.

Papa etiam audiit in quibusdam Siciliae locis esse homines, qui non dubitent Dulcini discipulos, & Fratres *vite pauperis*, etsi a Summa Sede damnatos, Sanctorum instar colere; illorum ossa, ut sacras reliquias asservare; in eorum honorem templa, vel sacella condere; quotannis ea magnas per turmas, & cum luminibus obire die mortis istorum commentitorum Caelitum. Igitur Episcopis Siculis 12 Sept. scripsit Papa, ut has superstitiones in posterum arcerent non modo per censuras ecclesiasticas, verum etiam, si foret opus, per auxilias civiles Magistratus vires.

§. XXIV.

S. Andreas Corsinus.

Ineunte anno 1373 obiit verus Sanctus, nempe Andreas Corsinus Fesulanus in Hetruria Episcopus, Florentiae nobili Corsinorum familia ortus sub annum 1302. Antequam nasceretur, parentes eius Deo promiserant primum conjugii sui fructum. Sed initio Andreas non respondit eorum consiliis. Anno ætatis duodecimo esse liberior, & disciplinæ impatiens cœpit, pergebatque tres circiter

R 3 annos.

Sæcul. XIV.
A.C. 1372.

Rayn. n. 36.

Sup. Lib. 91.
§. 33.

Boll. 29.
Jan. to. 2.
p. 1061.